

A Itaque Libertas Christiana sive Evangelii, in eo sita est, quod amore, & spiritu nos ducat ad promptè Deo Legique obediendum.

Secundò, quòd nos doceat Deum in spiritu, & veritate colere ad quòd subserviunt omnes illius ceremonie, nosque ad illum libere accunt, & excitant. Tantum ergo abest, ut Christiani Legis observatiōne non teneantur, ut Christus dixerit, eam esse viam ad æternam vitam, & præceptum dilectionis in quo totus Decalogus comprehenditur, ut à quo universa Lex & Prophetæ pendent, maximum & primum à Domino præceptum enuntiat; imò & Apostolis, universæque Ecclesiæ commendatur, dicente illo: Hæc mando vobis, ut diligatis invicem, Joan. 15. & 13. Decalogus idem explicat & approbat, Matth. 19. Marc. 10. Luc. 18. imò venisse se declarat non legem solvere, sed adimplere, Matth. cap. 5. videlicet ejus vim explicando, & observari districtim præcipiendo. Lex enim sancta, ait Paulus, & mandatum sanctum, justum & bonum, ad Rom. 7. & Consentio, inquit, legi, quia bona est.

Quin Christus in judicio dicitur esse is qui opera misericordis non fecerit, Et maledicti, &c. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, Matth. c. 25.

Igitur Libertas Christiana non est nisi ab obedientia Decalogi, Legum, Principum, Superiorum, neque ab operibus bonis, puta Satisfactionis, & Pœnitentiæ, aut votorum vinculis, ut volunt heretici damnati à Concilio Trid. sess. 6. cap. 19. 20. 21. cum ea sit libertas irrationalis, animalis, & turpis: sed liberat nos à servitute legis veteris, peccatorum, & demonis in hac vita: concupiscentiæ, miserix, & mortis in altera.

Videat Lector eruditum Tractat. Joan. Lenfci, & Driedonis pro eodem argumento. Bellarm. Tom. 3. lib. 4. cap. 5. de Iustificatiōe, & Commentatores in cap. 5. Epistol. ad Galatas, & primam Canon. S. Petri.

LIBERTAS RELIGIONIS.

Vide Religio: ubi & insigne illius descriptionem habet versus conceptum.

Libertini.

QUINAM SINT.

M Eminent in actis Apostolorum Lucas, inter eos, qui B. Stephanum disputando aggrediebantur, surrexisset quidam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum; eosque sic vocatos S. Chrysostomus, censet, qui à Romanis erant libertate donati.

Oecumen. addit rationem nominis, quia fortassis essent à Libya sive Livia Angusti conjugè percelebri, & ab eo adamata, quæ vicem ei rependit, ad sepulchrum ejus tolerant animo perleverans. Beda significari arbitratur filios Libertorum, qui post servitutem manumissi, ac libertate donati sunt, eaque una omnium Synagoga.

Itaque omnium consensu, Libertini erant Romani, ex his qui Romam abducti captivi, libertate ibi donati fuerant, quorum meminit Philo lib. de leg. ad Cæsum.

Libertini autem & Liberti apud Jurisconsultos distinguuntur, ut hi dicant respectum ad patronum, alii verò ad ipsam conditionem: quomodo dicimus quosdam ingenios. Tamen consilia mansit utroque significatio, & notantur quatuor illorum genera, Romanorum, Latinorum, Junianorum, & Deditiorum. Lib. 1. Instit. Tit. 5.

Nomus in collect. profan. historiar. quæ habentur in prima ar. Nat. an. contra Julian. docet, Athenis in Cynofarge judicium fuisse solummodo simul de Nothis, & Libertinis, an omnino libertate donati essent, & nothorum nomen ipsi communicatum per comparationem ad ingenios.

Cæterùm Bedæ & Glossæ observatio mystica habet, de servili stirpe procreatos, qui primi adversus Christi fidem rebellantur, ac denotatos hereticos, qui libertatem quam supra populum, admittunt & permittunt; ideoque eos vocat servos corruptionis. B. Petr. 2. Epistol. c. 2. vers. 19.

Libertini itaque quos heretici annumeramus, nisi quòd omni hæreticorum colluviem isthæc conveniat appellatio, sunt qui verbum Dei scriptum tanquam litteram occidentem respiciunt, solumque spiritu interno dicente, nos regi volumus: hominemque liberum à lege, sic ut nulla illius transgressione peccare possit, statuant, omnesque humanas leges abolent, tanquam non obligatorias, & manes.

Suadent igitur ipsi omnem deponendam conscientiam, & nec eam formandam in quo cumque tandem crimine, ut potest, qui tunc homines tantum peccare contendunt, quando in re quam faciunt, sibi conscientiam, & scrupulum peccati formant; & ad suum errorem traducunt locum Pauli 1. Corinth. 8. ubi dicit, quorundam conscientiam infirmam, nempe eorum, qui in fide non plene instructi circa Idololatria. Videantur interpretes in illum locum.

Liberti.

FACTI EX SERVIS.

Consule Locum superiorem de Libertate. Sub finem. Tit. Libertas considerata respectu personæ.

Libertum Arbitrium.

DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

D E nomine Liberti Arbitrii inter Doctores queritur, cui facultati, five potentie sit tribuendum, cum alii conjunctionem iudicii, rationis, & electionis voluntatis eo indicari arbitrentur: alii actui tantummodò rationis, id est, iudicio illud attribuant. Sed verior est sententia illorum, qui per liberum arbitrium solius voluntatis actum significari docent; nam is solus verè & propriè est liber: estque hæc sententia S. Thomæ 1. p. q. 83. art. 2. ad 2. & Sanctior. Patrum, qui ad nomen (arbitrii) addunt nomen voluntatis, appellantes liberum voluntatis arbitrium. Ita Ambr. lib. 2. de fide, cap. 3. August. lib. de grat. & lib. arbit. cap. 2. Lib. 5. de Civ. cap. 9.

Definitur autem à variis variè, quævis in idem omnia recidunt, & quidem in generali definitur esse naturalis potentia ad eligendum: eligere autem est unum præ alio acceptare ex his, quæ sunt in nostra potestate. Potentia autem de qua loquimur, est eadem cum ipsa voluntate, ac solum ratione ab illa distinguitur. Est enim voluntas, quæ formaliter libera est, & per quam domini efficiamur actionum nostrarum. Unde cum liberum arbitrium dicitur aliquando facultas intellectus, & rationis, intelligitur rationis, ut radices & origines, quia origo libertatis ab intellectu est: non subiecti, in quo formaliter sit.

Ex doctrina verò S. Thom. & Scholasticorum definitur, quòd sit potestas ex his, quæ ad aliquem finem conducunt, unum præ alio eligendi, aut unum, & idem acceptandi, vel pro arbitrio respuendi, naturæ intelligenti ad Dei gloriam attributa.

Quæ quidem definitio naturam, & proprietates Liberti arbitrii exponit. Forma sive ratio ipsius est, quòd sit potestas libera: subiectum verò, cum additur, intelligenti nature: objectum, in his que ad finem aliquem conducunt. Siquidem versatur liberum arbitrium circa media: cum eadem potentia rationalis appetendi, ut finem respicit, dicatur voluntas: finis denique, cuius gratia liberum arbitrium nature intelligenti attributum, cum dicitur, Ad magnam Dei gloriam.

Non est autem instituti præsentis subtiliores de hac re quaestiones intertere, cum eorum difficultas ad Theologos pertinet, & res ipsa, quam liberum vocamus arbitrium, ut omnibus sit cognita & aperta, ut ea nulla ratione homini esse negari queat, nisi iumentis insipientibus eum comparare hinc soluerit.

SCRIPTORES.

Ex Scriptotibus Catholicis infinitos prope reperire est, qui hoc argumentum pertractarunt. Et primum ex Grecis veteribus, Origen. in lib. 3. de principiis, Eusebius Cesariensis in toto lib. præparat. Evang. S. Basil. in orat. de lib. arbit. & in a. lia. de causis malis, S. Greg. Nyssensis lib. 5. de 7. & 8. de Philosophia, S. Ioan. Chrysol. in quinque orationibus, de Provident. vel fato, S. Ioan. Damascen. l. 2. de fide Orthodoxa, cap. 25. & seq.

Ex Latinis antiquis, S. Aug. in tribus de libero arbitrio, & in alio de gratia & libero arbitrio, S. Prosper in libro de libero arbitrio ad Rufinum, Faustus Regiensis in duobus libris de libero arbitrio, Boetius Severinus in lib. de consolatione Philosophia, S. Anselmus in libro de concordia gratiæ & liberi arbitrii, & in Dialogo de lib. arbitrio, S. Bernardus in libro de gratia & libero arbitrio, Petrus Lombardus in lib. 2. Sentent. dist. 24. & 25. & cum eo Doctores Theologi, qui Scholastici dicuntur.

Ex recentioribus, qui propriè contra hæreticos nostri temporis pro liberi arbitrii defensione scripserunt, multi nume-

A numerari possunt. Eorum, quos videre potui, nomina per Alphabeti ordinem adscribam. Albertus Pighine scripsit lib. decem de libero arbitrio. contra Calvinum. Alphonsus à Castro lib. 9. adversus hæres. eandem materiam tractat. Item etiam Andreas Vega lib. 2. in Conc. Trid. cap. 12. & seq. Bartholomæus Camerarius in lib. de libero arbitrio. Conradus Clavigus in locis communibus, lib. 1. cap. 5. & seq. Censura Coloniaensis contra Monhemium, art. 3. Diegus Payera lib. 4. Instit. Dominicus Soto lib. 1. c. 27. & seq. locorum Catholicorum. Franciscus Ferraricus in lib. de Evangelica libertate, c. 1. & 2. Hieronymus Hangeus in libro de libero arbitrio. Joannes Latomus contra artic. 2. Lutheri. Joannes Clocheus in lib. de libero arbitrio. Joannes Driedo in lib. de concordia liberi arbitrii & prædestinationis, & in libro de gratia & libero arbitrio & prædestinationis, art. 7. Lovanienfium. Thom. Vualdens. Tom. 1. lib. 1. cap. 28. & seq. Gulielm. Lindanus lib. 3. Panoplia, cap. 14. & seq. Omittit illos, qui Metaphysicam commentatis suis illustrarunt.

ERRORES HÆRETICORUM

CIRCA MATERIAM DE LIBERO ARBITRIO.

Hæreticorum nostri temporis impietas cò dilapsa est, ut ab homini arbitrii libertatem tollant, quòd licentius in omnia scelera ferarunt. Idque non tantum in iis operibus quæ pertinent ad salutem, sive in actionibus piis & salutaribus; neque tantum in moralibus, sed etiam in naturalibus, & civilibus, idque propter statum naturæ corruptæ. Ideoque Calvinus nomen Liberti arbitrii optat tolli de medio, Lib. 2. Instit. c. 2. §. 4. vocatque universi non liberum, sed servum arbitrium. Docet hunc errorem Luth. art. 36. assert. ubi omnino illud tollit, & dicit inquit, ideoque adversus Erasmus scriptis de servo arbitrio.

Melancthon in locis commun. editis ann. M. D. XXI. & in comm. cap. 8. Ep. ad Rom. fuitque hæresis Simon. Magi, Manichæi, Priscilliani, & similibus. Idem sentiunt. Matth. Illyr. cent. 2. cap. 4. col. 59. Ioan. Brent. in Apolog. pro Confess. sub Virentib. Ioan. Calv. Lib. 2. Instit. cap. 2. §. 4. cap. 3. §. 11. 17. & deinceps.

DOCTRINA, ET VERITAS CATHOLICORUM.

NON ESSE MUTANDUM NOMEN LIBERTI ARBITRII IN SERVUM ARBITRIUM.

Hæretici tollentes omnem libertatem Christianam, consequenter ex Libero Arbitrio. Servum Arbitrium faciunt, monstròsa illius nominis appellatione, quam nec veteres unquam, nec recentiores Theologi agnovērunt. Fatetur id Calvinus ipse Lib. 2. Instit. cap. 2. §. 4. cum dicit, apud Latinos semper nomen Liberti arbitrii existisse, & Græcos verò arrogantiùs ut passim vocabulum adhiberent.

Lutherus, ut solet, impudenter dicit, vocem Liberti arbitrii demone magistro in Ecclesiis invecnam.

Attamen Patres omnes hoc nomen usurpant, & milles ut ita dicam, in ipsorum libris reperitur, sic ut remarium sit velle inducere eam vocis novitatem, præsertim cum salutaritatem impoitet, videlicet servitutem, cum summa sit in homine, etiam post lapsum, libertas ad eligendum hoc præ alio, ut statim ostendetur. Unde Num. 30. legimus: In arbitrio viri erit, ut faciat, vel non faciat. Si contendant ideo non esse togendum eo nomine, quòd in Scripturis non reperitur, infirmum est argumentum. Neque etiam nomen Trinitatis in iis reperitur, uti nec plura alia in Ecclesia usitata. Denique controversiæ de libero arbitrio duntaxat extorret fuerunt post conditas Scripturas: unde perperam nomen illius in ea quaeritur.

LIBERTUM ARBITRIUM REPERIRI IN ACTIONIBUS NATURALIBUS ET CIVILIBUS.

Confirmat hanc veritatem quotidiana rerum humanarum praxis & experientia, hominem post lapsum habere potestatem eligendi res diversas, & faciendi multa que non facit, & e converso quòd appetissimè convincit, esse in homine libertatem, ut pro arbitrio faciat, vel non faciat. Idque libertate, quam vocant à necessitate: illam enim hæretici rejiciunt.

Ita Deus Num. 30. In arbitrio Viri erit, sive faciat, sive non faciat. Agit autem de voto uxoris, quod marito incipio emit.

Isue c. 24. proposita voluntate & præceptis Dei universo populo: Opto, ait, vobis datur: eligite hodie quod vobis placet.

Cum David Deum offendisset, ed quòd numerasset populum suum, missus est Gad Propheta, qui diceret: Trium tibi datur optio, elige unum quod volueris, ut faciam tibi. Aut septem annis veniat tibi fames in terra tua: aut tribus mensibus fugies adversarios tuos, & illi te persequetur: aut certè tribus diebus erit pestilentia in terra tua. Nunc ergo delibera. 2. Reg. 23.

Sic ad Salomonem dixit Deus, Postula quod vis, ut dem tibi.

Sufanna etiam, Angustix mihi fuit undique, & quid eligam, ignoro. Dan. 13. Et de virto Justo in generali dicit Sapiens: Qui potuit transgredi, & non est transgressus. Eccles. 31.

Ananæ & Saphiræ, postquam defraudaverant de pretio venditi agri, dicit S. Petrus, Nonne manens tibi manebat, & venundatum erat in tua potestate? Act. 5. q. d. Non poteras agrum tuum non vendere, & venditi pretium retinere?

Christus Matth. 19. dixit Adolescenti querenti: Quid faciendo vitam æternam possidebo? Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Et iterum: Si vis perfectus esse, vende omnia que habes, &c.

Quibus testimoniis adjungi poterunt omnia, quæ involuntè reprehensionem tollant, cum interrogatione. Item omnia præcepta, consilia, & laudes Sanctorum.

Loca Patrum videantur apud Bellarm. l. 4. c. 9. de grat. & lib. arbitrii. Unum addicemus Cyprian. lib. 1. Epistol. ad Cornel. Homo libertati suæ relictus, & in arbitrio proprio constitutus, sibi met ipsi vel mortem appetit, vel salutem.

S. verò August. l. de duobus animab. cap. 11. scribit, hoc cantari à pastoribus in montibus, à Poetis in theatris, ab indoctis in circularis, à doctis in Bibliothecis, à magistris in scholis, à Pontificibus in templis, à genere humano in orbe terrarum.

Idem fuit iudicium Ethnicorum & Philosophorum, ut fatetur ipse Calv. lib. 2. Instit. cap. 2. §. 2. & testimoniis eorum congerit Euseb. l. 6. de præpar. Evang. c. 6. & 7.

LIBERTUM ARBITRIUM REPERIRI IN MORALIBUS.

Hominem in statu naturæ corruptæ esse præditum libero arbitrio quoad moralia, veritas Orthodoxa docet. Siquidem homo voluntariè peccat, & non necessariò; ut constat. Si enim peccatum esset necessarium, non esset peccatum: Si est voluntarium, vitari potest. Deinde si tollas libertatem, nullus erit præmi, aut pœnæ locus. Ita ratiocinantur Chrysof. & Hieron. Tertio, sublata arbitrii libertate, omnes virtuti sunt boni, vel omnes mali: nunc autem constat, unum alio esse meliorem, ut probant omnes penè parabole Evangelicæ: dicitque per Prophetam Deus Psalm. 36. Declina à malo, & fac bonum.

Ad hæc omnia præcepta, quibus aliquid homini injungitur faciendum aut non faciendum, arguunt arbitrii in eo Libertatem. Nam cum præceptum omne sit regula vivendi, frustra proponitur ei, qui deicere eam non facere non poterit. Adduci hæc commodè poterunt testimonia, quæ ad confirmationem superioris §. retulimus.

Quibus adde, quòd Deus dicat Israeli: Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est.

Et alibi minatur mala Populo, quòd noluisse obedire, & acquiescere mandatis suis, Num. 15. & aliis frequenter.

Sic Christus dicit habitatoribus Jerusalem Jerosolymæ Matth. 23. Quoties volui congregare filios tuos, & noluisse?

Pari modo Stephanus Synagoge Judæorum exprobat, quòd semper resisteret Spiritui sancto. Act. 7.

At omnium luculentissimè id indicat verbis Dei ad Populum olim, Dent. c. 30. Testes invoco hodie cælum & terram, quòd proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & semen tuum.

Testimonia 10. Patrum refert Albert. Pighius lib. 2. de lib. arbitrii. aliorum verò, tam Græcorum, quam Latinor. Bellarm. sup. cap. 24. lib. 5.

IN OPERIBUS AD SALUTEM PERTINENTIBUS.

Quamvis homo in iis rebus que ad salutem pertinent, sine auxilio gratiæ divinæ nihil valeat efficere, tamen per gratiam prævenientem excitatus, & à Deo adjutus, ita operari valet, ut etiam posset non operari. Contrarium docuit, sed retrahat. Luth. lib. qui inscribitur, Operationes in Psalm. Ioannes Calvinus & Kemni. docent, voluntatè nostram in operibus pietatis sic agi à Deo, ut nequeat non agere, & non aliter

A alter concurrere ad actionem, quam producit, ac merum instrumentum Dei naturale, non ut causa libera, & domina sue actionis. Lib. 2. Infit. cap. 3. §. 7. & 11.

Sed veritatem Catholicam roborant ex Scripturæ, que nos vocant operarios, cooperatores Dei, plantatores. Ut Matth. 20. 1. ad Cor. 3. Item ex qua opera pietatis fieri suadent. Iob. 2. Hier. 1. Ezech. 18. Iob. 6. Denique que aperte demonstrant, hominem à Deo vocatum posse non venire. Prov. 11. Matth. 22. Iob. 6. Alt. 7. Et Apocal. 3. Ego sto ad ostium, & pulso: si quis aperuerit mihi, intrabo ad eum. Dicit Calvinista, Non possum aperire.

Testimonia Patrum innumera recenset Bellar. sup. l. 6. c. 11. & Conciliorum quoque decreta in fine capitis. Quibus adde Conc. Trid. sess. 7. c. 5. & Can. 4.

CUR DATUM.

Liberum arbitrium datum fuit Angelis & Hominibus, ad Dei gloriam, & potentiam, & iustitiam manifestandam. Quippe quod eos condiderit liberi arbitrii, ostendit providentiam suam esse inexhaustam, & iustitiam eximiam, quia iustos præmiis, malos penis afficit. Elucet etiam summa illius bonitas, quæ facit, ut verbum haghab, flagrat amore infans, exaruit impudico affectu erga aliquem, deperit amore, Ezech. 33. ad finem, à verbo haghab, flagrat amore infans, exaruit impudico affectu erga aliquem, deperit amore, Ezech. 23. 7. 9. 12. 16. 20. Hinc & ardo, amo, diligo. Cognationem habet verbum haghab, cum verbo hagbam, quod significat, amore uror. Vehementes sanè sunt amores honesti, ut & inhonesti affectus. Haghab autem semper accipitur de flammis impuris & amore lascivo.

QUALE IN STATU INNOCENTIE. Communis Doctorum est sententia, Liberum arbitrium Adamo in statu innocentie datum, duabus in rebus fuisse potentius nostrum. Primum in executione voluntatis, cum nullam sentiret rebellionem partis inferioris, eique omnia membra ad nutum servirent. Nos autem, quamvis sumus liberi ad eligendum pro arbitrio, vel non eligendum, tamen ob rebellionem que in nobis est, non sumus semper æque prompti in exequendo. Ita ut cum Apostolo dicere cogamur: Quod nolo malum, hoc ago etiam. Adam solis viribus liberi arbitrii poterat resistere tentationibus, ad quas nos specialiæmus auxilio. Unde & ipse poterat resistere motibus carnis, C non errare invitus: quod nos ita non possumus.

Rursus nos post lapsum gratiæ Dei adiutoriū requirimus, ut opera pietatis producamus. Unde liberum arbitrium in nobis non nihil infirmum, & attenuatum esse per peccatum primi hominis, communiter docetur, ut neque in Deum credere, aut eum diligere possimus, nisi Dei gratiæ & misericordiam nos præveniat. Videatur Conc. Trid. sess. 7. c. 5. & Can. 4. Quomodo autem Liberum arbitrium consistat cum providentiâ & prescientiâ Dei, & qua ratione consistat cum auxilio gratiæ, & hæc illi cooperetur, videat solidè & eruditè tractatum curiosus Lector, apud Dr. Driedonem, & Ruardum Tappertum, qui hæc nostra ætate id argumentum ex professo tractarunt. Rob. Bellarm. ex coramdem scriptis breve rotius huius questionis compendium digessit, Lib. 6. de grat. & liber. arbit. cap. 15. tom. 3. controu.

\* Liber Vitæ.

QUIS DICENDUS.

DE Minuit huius Lib. in Apocal. sua Iob. c. 20. ubi de innovatione mundi sub finem futura differens, dicit: Vidi mortuos magnos & pusillos, stantes in conspectu throni: & libri aperti sunt, & alius liber apertus, qui est Liber Vitæ: haud dubiè Liber iste est, in quo soli prædestinati scripti erunt. Unde additur sub finem: Et qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.

Hic autem Liber metaphoricè explicatur à S. Th. 1. p. q. 24. art. 2. Quia namque constructum est apud homines, ut illi qui ad aliquod eliguntur, in libro conferantur, aliove inferantur: prædestinati autem eliguntur à Deo ad gloriam, ideò cò ipsa Dei notitia, qua Deus firmiter retinet, & quodam modo in suo intellectu conscriptum habet, quos prædestinavit, Liber vitæ nuncupatur. Sic eadem illius notitia accipitur per libros istos plures, in quibus opera reprobatorum scripta ibidem referantur. Quamvis non dicatur propriè Liber mortis, quòd non soleant repudiandi in album inferi. Ita rursus S. Thom. supra. S. Paulus autem dicit ad Phil. c. 4. Nomen Clementis & aliorum adiutorum ipsius, scriptum esse in libro vitæ. Et Apocal. 3. Qui victeris, non delebo nomen ejus de libro vitæ.

Libido.

DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

LIBIDO, Græcè ἐπιθυμία. Est autem libido, quicquid libet, dicitur que à labando, secundum Varr. quòd que placens, in mentem prolabantur. Unde non modò turpia, sed etiam honestiorum rerum voluntas libido dicitur. Sallust. Magister in decoris armis, & militariis equis, quam in fortis, atque conviviis libidinem habent. Terent. Neque turpe libidini adversabor, hoc est, voluntati. Si verò libidinem simpliciter dicimus, neque cuius rei additur, de Venerea intelligimus: hinc libidinosus, hoc est, in libidinem propensus: & libidinosè, molliter, lascivè, descendunt. Libidinis sunt Ira, Excandescencia, Odium, Inimicitia, Discordia, Indigentia, Desiderium, & cetera hujusmodi, secundum Cic. lib. 4. Tuscul. quest.

Libido, cupiditas, inordinatum desiderium, Hebr. haghab, amor illicitus, perditus & infansus, Ezech. 23. 11. hagbabim, in plur. numero, Amores infans & libidinosi, amores scortatorum, Ezech. 33. ad finem, à verbo haghab, flagrat amore infans, exaruit impudico affectu erga aliquem, deperit amore, Ezech. 23. 7. 9. 12. 16. 20. Hinc & ardo, amo, diligo. Cognationem habet verbum haghab, cum verbo hagbam, quod significat, amore uror. Vehementes sanè sunt amores honesti, ut & inhonesti affectus. Haghab autem semper accipitur de flammis impuris & amore lascivo.

DE ILLUS TURPIDITUDINE

\* APROPHETGATA.

BION, Alcibiadem hoc elogio taxavit, quòd adolescens vitos abduxisset ab uxoriis; juvenis factus, uxores à vitis. Laert. l. 4. c. 7.

DIOGENES animadvertens Olympionicem quendam oculos deligere in sortum, aded ut præteritum capite reflexo inueneret: Ecce, inquit, ut arces Martius à puella publica obtorto collo victus abducitur. Ridiculum existimabat certare cum electis viris, & à vili puella veluti captivum trahi sine funibus. Laert. lib. 6.

STRATONICUS, quum egrediretur Heraclea civitate, portas ac menia circumspiciebat: percontanti verò eum, quid circumspiceret? Pudet, inquit, si videat exire è lupanari: notavit corruptos ejus civitatis mores. Sunt ejus nominis civitates multe, sed de Heraclea Thraciæ senit opinor. Eras. l. 6. Apoph.

LUSTUS, Marii ex sorore nepos, quum Marius iterum consul esset, vim admovit militi cadum adolescenti nomine Trebonio: at is Lustum interfecit. Id eundem multis incusantibus, non inficiatus est adolescens se ducem suum interfecisse: sed causam addidit, ac probavit. Marius itaque quum iussisset asseri coronam, pro facinore in bello præclate gesto dari solitam, Trebonio imposuit: gravi exemplo moneus ceteros, ne simili modo tentarent adolescentium pudicitiam: quando non solum abfolvit, verum etiam coronavit eum, qui & Imperatoris cognatum & ducem suum necasset. Plut. in Rom. Apoph.

NERO puerum Spotum exactis testibus in muliebrem naturam transfigurare conatus est. Addita dos, additum flammæum, addita celeberrima nuptiarum solemnitas. Quid multis? palam pro uxore habuit. Hic fertur cujusdam non infantis jocus: Benè agi potuisset uxorem humanis, si Domitius Neronis pater talem habuisset uxorem. Sentiens, exito totius orbis natum Neronem: Is nunquam fuisset natus, si pater Spori similem habuisset vice conjugis.

In serico & in pannis eadem dominatur libido, nec regum purpuram timet, nec mendicantium spemittit quallotorem: multòque melius est stomachum dolere, quam mentem imperare corpori, quam servire: gressu vacillare, quam impudicitia. Nisi statim nobis potentia subsidia blandiantur, quæ sunt infelicium remedia, cavendum est vulnus, quòd dolore curatur. Hieron. in ep. ad Salu.

Venter mero estuans citò spumat in libidinem. Venter enim & genitalia vicina sunt: & unum alteri subministrat. Ex vicinitate enim membrorum sequitur confederatio virtutum. Hieron. in epist.

In arce Nunziitensis haud procul à Londino in Anglia sub imagine Adæonis, infra scripti versus leguntur: Quisquis ut Alcæon grassante libidine nullus Imposuit franos oculos, animique furori: Bellua sit, monstrumque hominis, semetque vorandum Dat

A Dat canibus propriis, dum mens adfectibus ignis Subjicit, & nullo retinet moderamine sensus.

ADMONITIO AD LECTOREM.

Mirabitur fortassis benignus Lector, quòd presenti loco, qui ipsa nominis appellatione turpiditatem adfert, pleræque minus pudica, aut saltem non bene honesta, queque à probis viribus arceri deberent, immixta reperiat: cum enim ea summo studio à veterum scriptis fuisse conquisita, & in methodum argumenti dilata, eadem permixta à paucis sanè delectis, judicari tanquam venena, ut dum cam Ethnicorum aliorumve improbitatem Christiani detestarentur, simul etiam ad mentis & corporis puritatem animum intenderent.

LIBIDINIS IMPUDICITIÆ ACQUISITIO

QUOD EFFECTUM.

QUOD PERTINENT.

MAGISTRI, INCENTORES LIBIDINIS & impudicitiae alienæ.

B. Confule Tit. Poeta turpes & impudici: Item Tit. Meretricium, quatenus lupanarium illa ratio habetur.

CUIUS PUTA.

Scortationis. Lupanaria instituta, approbata.

Venerem, quam ex spuma maris procreatam Poeta testimonio sunt, impudicam, ad omneque divulgatam libidines fuisse, propterea est quippe quæ plures ex adulterio filios procrearet. Nam ex famulo maris stupro genuit Harmoniam, de qua Plur. in vita Pelopidæ meminit: ex Mercurio Hermaphroditem, ex Jove Cupidinem, ex Anchia Eneam, & ex Bute Erycem. Quos obres, amorum gratiarumque, item pulchritudinis & deliciarum & voluptatum omnium, & libidinis atque coitus dæa habita est. Hæc, ne sola impudica videretur, omnium prima, teste Laert. lib. 1. ut est in historia, quam præcis Sacram appellabant, meretriciam artem infirmis, auctorque mulieribus in Cypro infulsa fuit, ut vulgato corpore quantum fuerent. Ex quo apud Cyprum, teste Iustino Can. lib. 18. mos inolevit, ut virgines ante nuptias statutas, libidinem turbant, in qua sunt ad litus maris mitterent, pro reliqua pudicitia liberantem Veneti soluturas. Harum ex numero Læx, admodum virginis rapit, & in naves imponi iussit Elisa, quum illac transiret è Tyro fugiens, ut juvenes matrimonio, & urbs sobolem haberet.

Apud Babylonios consuendo fuit, ut eum rem domesticam consumpissent, ob videns inopiam filias suas adigerent ad quantum corpore faciendum. Item mulieres semel in vita omnibus indigenis communes erant, teste Herod. lib. 1.

Athen. lib. 12. indicat, Polycretem apud Samios mulieres aliquot voluptatum architectrices instituisse, ad exemplum Anconis ducis Sardiurum; eumque locum Læx dictum fuisse, sive Samiorum adon, hoc est, flores. Idem addit, Omphale, ejus gentis reginam, per vim virginis dominorum cum eorum servis inclusisse ad stuprum, ne sola haberetur impudica. Lydos autem eum locum, in quo feminae consueverant, γυναικῶν ἀγορὰν dixisse, sceleris atrocitatem verbo mitigantes.

Thracæ virgines non aservant, sed quibus libuit cum Diviris, concumbere sunt. Herod. lib. 3. Illyricorum virginibus, quæ appellant, nonnunquam annor. xx. more patrio non denegatur ante nuptias succumbere quibus vellet. Varro l. 2. c. 12. de Re rustica.

SOLON, ut ab adulteris cohereretur juvenitas, coemptas meretriculas Athenis proficitur primus, obviaque in venere esse voluit, ne matronarum stupro pollueretur. Alex. l. 4. c. 1.

Quum aliquando adiret scortum Aristippus, sensit quendam ex adolescentulis, qui aderant, erubescere: quasi turpe esset, philosophum ingredi fornicem. Ad hunc verius: Huc, inquit, ingredite turpe non est adolescentis: egredi non posse, turpe. Sensit, ignoscendum, si quis ad dictus voluptati serviat. Hoc dictum illo seculo probati poterat, quò nulla lex veterat cum scorto condati: nunc præter arguam nihil habet laudabile. Laert. l. 2. c. 3.

CRATES Thebanus, cum filium Pasiclem in meretricis domum perduxisset, dixit: Hoc tibi est patrium conjugium. Nam mæchi tragici patriam referunt exilia ac cedes Comici

autem fornicatores, ex luxu & temulentia lucrificanti infamiam. Sensit homo ethnicus, quasi tragicam esse rem adulturiam, quòd plerumque crudelis sit ejus exitus. Scortario autem esse comicum. Scortario enim non mortis damnatur supplicio: nihilominus tamen, qui deperunt in meretricem, in comædiis inducuntur infans similes. Laert. l. 6. c. 5.

Amantissimus quidam filii, cum eum in comædiis ac periculosos facibus accensum, ab infans cupiditate patet inhibere vellet, salubri consilio patriam indulgentiam temperavit. Petiit enim, ut priusquam ad eam, quam diligebat, iret, vulgari ac permixta venerit uteretur. Cujus precibus obsecutus adolescens, infelicis animi impetum, satietate licentis concubitus resolutum, ad id quod non licebat tardiore pigritemque afferens, paulatim deposuit. Val. l. 7. c. 3.

Veneri è Germania olim quatuordecim certo stipendio meretriculas conducebant, quæ vulgi prostant libidini, iuxta catinificiam publicam, ubi D. Mathai sanum est. Cæterum ea fuit Venetiarum mulierum docilitas, ut barbaricum non sit opus scortillis, quando re ipsa ostenderunt, five copiam, five artem meretriciam spectes, xpiostovav ἢ ἀδελφῶν ἢ ἡδονῶν. Egnat. l. 6. c. 1.

Cæterum per Italiam & Hispaniam, & plerisque civitatibus celeberrimis aliarum Provinciarum, ad privatas libidines sedandas, & adulteria cohibenda, prostitula è publico eriguntur, aut permittuntur. Quin & alibi, ne plures ad scorta intrantes lue venere inficiantur, Medici stipendio aluntur, ut illi malo invigilent, & scortorum curam gerant, uti fit Veneciis & alibi.

Incestus.

PARYSATHIS auctor fuit filio Artaxerxi incestus cum Aroffa filia. Hanc enim cum animadverteret regem perdidit, ac occultè amare, suavit ei, ut puellam duceret, quamvis eam Tribazo satrapæ jam deponderit. Legem enim Percis ipsam à Deo, honesteque & inhonesti datum nomina dicit abbat. Plut. in Artax.

PTOLEMÆUS Aegypti Rex, ut sororis suæ conjugio libere potiretur, passim fratrum & sororum matrimonia permisit. Alex. l. 1. c. 24.

HERACLUS Imp. incesti fuit legislator amoris, ut commo- G datus Martinam filiam fratris ducere possit. Suidas.

ANDRONICHUS tyrannus Ikenem, ex consobrina Theodora Comnena natam, & Alexium, Manicli ex incesto concubitu Theodoræ filium, voluit jungi matrimonio. Conventu itaque cum politicorum, tum Ecclesiasticorum indictio, breve scriptum publicè recitandum & deliberandum cætu exhibet, ejus quidem hæc erat summa: An ferendum esset matrimonium, quod cum parum aut nihil potius incommodi præferret, tamen ad Orientis & Occidentis conjunctionem, & ad captivorum redemptionem pertineret, & plura alia commoda republicæ allatum esset? Maxima pars largitoribus corrupta, negabat eas personas inter se cognatas esse, quia illicitis nuptiis essent procreate. Pauci contra sentiebant, incestas esse eas nuptias, eamque ob causam minime approbandas. Patriarcha Theodosius, cum nil se proficere cerneret, in insulam Terebinthum, ubi & diversorium & sepulchrum sibi struxerat, in spontaneum exilium abiit. Andronicus nuptias incestas perfecit, Bulgariae Episcopo, qui tum in urbe erat, omnia pro votis Andronici peragente. Mox Cameraco Basilio Patriarchatum detulit, aut potius vendidit, cum promississet, se quicquid cordi esset Andronico, facturum. Nicetas in Alexio Commeno.

Imp. Henricus IV. quum jam alteram sibi junxisset uxorem Utonis marchionis viduam, nihil modestius in ea se gessit, quam priore. Nam filium suum Conradum, optimum adolescentem, & qui meliori parente dignus videretur, ad uxoris terris invitasse complexum. Quumque horretet infansum crimen bonus juvenis, ut eum ad seclis animaret, fertur illi in aurem dixisse, se patrem illum non esse, nati adulterio: & ideò thorum suum non esse illi tantoperè resignandum. Magis magisque aucto in prudente juvene horrore, meditatur patris cedere furori: itaque fecit, concedens in Italiam. Ibi præsidio Mathildis nobilissima femine succensus est: cum pater illum jam antè regem fuisset coronari. Regina verò elapsa de manibus Henrici, pervenit & ipsa in Italiam, ductaque Mathildis ad Urbanum Pontificem. Post reversa in patriam, monasticam vitam ingressa est. Crantz. lib. 5. Aetrop. c. 21.